



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore  
Animato Lib. VII.**

**Dandini, Girolamo**

**Parisiis, 1611**

De tactu. cap. 11.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

per se vt qualitates quædam sunt : tum ex communi loquendi & concipiendi modo : tum quia hi duo notissimi omnium sunt : extrema autem vt simplicia , & quæ maximè sensum afficiunt, notissima semper sunt : tum quia mensura sunt cæterorum saporum , quos ex distantia vel propinquitate ad illos mensuramus : Tum quia cum qualitatis natura ex propria eius actione maximè cognoscatur , amari & dulcis actiones plurimum diuersæ sunt.

Quocirca mirum non est, si hi duo ipsi sapes ab eisdem Peripateticis elementa & principia cæterorum dicantur. Primum enim extremi sunt, extremaque sunt quasi principia mediæ. Deinde mensura illorum sunt, quos per similitudinem quandam & proportionem ad illos iudicamus & distinguimus ; quemadmodum & colores omnes comparatione albi & nigri. Et meritò Theophrastus dulcem dixit esse cæterorum exemplar. Est enim maximè temperatus, gustatusque qui in quadam mediocritate qualitatum consistit, eo plurimum delectatur. Voluit etiam eum esse principium saporum ; quia est boni alimenti principium, cum omnia nutriantur dulci : sicut amarus principium est alimenti mali, & cæteri sapes mediæ principia mediæ alimentorum sunt. Sunt igitur principia per similitudinem, sicut & album & nigrum colorum principia dicuntur, propriè autem non sunt ; quia nec materialia principia sunt, nec formalia, nec efficiencia, nec finalia.

Postremò de his saporibus disputatur, an sapes mediæ qualitates sint re ipsa tales sua natura, an solum apparentes ex dulcis & amari permissione. Sed facilis solutio est. Nam si naturales sapes sint atque ex naturalibus causis profecti quæ sunt siccitas cum humido à calore permixta ; sunt re ipsa tales, specieque distinguuntur, tum inter se, tum ab extremis. Sin autem sint arte facti ; vt per culinariam plurimi sola plurimorum corporum sapidorum coniunctione ; ij sanè coloribus respondent, qui à pictoribus miscentur ; neque specie ab aliis differunt.

Dulcis  
Camaris  
vt  
aliorum  
principia.

An mediæ  
sapes  
ex  
extremis  
componantur.

Dulcis

A taxat : postquam saporis species distinxit, postulat doctrinæ ratio, vt doceretur, à quoniam organum illud à potestate ad actum traduceretur.

Ego verò Aristotelem puto vtrumque spectasse ; quod Alexander quoque & Simplicius vixit iudicare. Nam vtrumque est potestate ; organum, vt à saporibus humectetur illoque suscipiat facultas, vt sensionis actum producat & tanquam obiecti formam recipiat. Et vtrumque à gustabili reductur ad actum, sique tale actu, quale est ipsum gustabile. Sanè gustatiuum, tum organum significat, tum facultatem. Siquidem sensus omnis facultas est vt cum organo coniuncta, nec sine illo operatur. Et vt de oculo dicebatur in tex. 9. & n. eum esse coniunctum quidpiam ex pupilla & alpestru ; sic gustatiuum ex lingua & gustatu tanquam organo & facultate compositum significat.

DE TACTU.

CAP. II.

TEXTVS.

Περί τῆς ἀπτόσεως ἡ ἀφήσῃ αὐτῶν λόγος· εἰ γὰρ ἀπὸ τοῦ αἰσθητοῦ αἰσθῆσις, ἀλλὰ πλείους, ἀναγκαστὸν ἔστι τὰ ἀπτόσιν αἰσθητοῦ εἶναι. ἔχει δὲ ἀπέλαιον, ποτὲρον πλείους εἶναι, ἢ μίαν. καὶ τί τὸ αἰσθητικόν τὸ πᾶσι ἀπτόσιν, ποτὲρον ἢ αἰσθητὸν ἢ αἰσθητὸν τὸ δὲ αἰσθητικόν αἰσθητικόν ἀλλὰ τὸ αἰσθητικόν πᾶσι τῶν αἰσθητικῶν, μίαν αἰσθητικῶν εἶναι δοκῶν, ἔστι δὲ μίαν, καὶ αἰσθητὸν ἢ ἀπτόσιν, ὁμοῦ ἢ ἕτερον, καὶ αἰσθητὸν ἢ ἀπτόσιν, εἰ δὲ τὸ ἀπτόσιν πᾶσι αἰσθητικῶν, ἔστι δὲ αἰσθητικόν, ἔστι δὲ αἰσθητικόν, σκληρὸν μαλακόν, καὶ τῶν ἄλλων ὅσα τῶν αἰσθητικῶν.

De tactili autem & tactu eadem ratio. Si enim tactus non vnus est sensus, sed plures ; necessarium & tactibus pluribus sensibilibus esse, habet autem dubitationem, vtrum plures sint, an vnus.

Et quod sensorium tactilis tactiuum ; vtrum eum & tactu, quod in aliis proportionem respondet, an non : sed hoc quædam medium, primum autem sensorium aliud quiddam est intus. Omnis etenim sensus vnus contrarietatis esse videtur ; vt aspectus albi & nigri, & auditus gravis & acuti, & gustatus amari & dulcis. In tactili autem multæ in sunt contrarietates ; calidum, frigidum ; humidum, siccum ; durum, molle ; & aliorum quæcumque eorum modi.

COMMENTARIUS CLIII.

ITa tactus tractationem aggreditur, vt apertis omnino verbis confirmet id, quod antea dixi ; propterea hunc sensum in vltimum locum fuisse reiectum, quod omnium difficillima & obscurissima esset illius cognitio ; ad quam ex aliorum sensuum antecesset cognitione oportet nos quoquo modo introduci. Nam propterea statim de tactili & tactu eodem modo dicendum proposuit, quod de cæteris dictum est. Nimirum obscurissima hæc cognitio ex antecedenti inuabitur, quia tactile eodem modo se habet ad tactum, quo se habent obiecta cætera sensibilia ad eos sensus, quorum obiecta sunt ; & ideo ex obiecto tactili tangenti facultatis cognitionem querendam esse. Hoc autem principio

TEXTVS.

Ὅτι τὸ γουστικόν ἔστι, τὸ δυνάμει ποιῶν τὸ γουστῶν δὲ, τὸ ποιητικόν ἐπιτελεῖ αὐτῶν.

Quare gustatiuum est, quod potestate huiusmodi, gustabile autem, quod potest ipsum facere actu.

COMMENTARIUS CLII.

HI s verbis tota gustatus consideratio concluditur. Sed dum gustatiuum dicitur esse potestate id quod est actu gustabile, atque à gustabili fieri actu : gustatiuum Philoponus intelligit facultatem ipsam gustandi : vt postquam de obiecto actum est, ex illo facultatis cognitio colligatur. Sic enim initio positum est, ex obiectis facultates cognoscendas esse. Themistius autem organum potibis interpretatur. Cum enim hoc paulò ante dixisset non debere esse humidum actu, sicut est sapor gustabilis, sed potestate dun-

principio posito, difficiles duas & obscuras planè quaestiones huius sensus proprias subiunxit; quæ nisi explicentur, prorsus non potest huius sensus natura cognosci. Itaque siue dignitatem & nobilitatem spectes, siue doctrinæ & cognitionis facilitatem; magis omnino probandum est Aristotelis consilium, qui infimum & obscurissimum sensum in postremum reiecit loquimur; quàm Auicennæ, qui propterea voluit esse primum, quòd primus animalibus omnibus insit, & sine aliis esse possit. Et si enim hæc Auicennæ methodus, qua in rebus cognoscendis naturæ in illis producendis ordinem sequimur; tunc probanda sit, quando ea, quæ priora sunt, faciliorem quoque habent cognitionem: & idè Aristoteles ipse de vegetantibus antea facultatibus egit, quàm de sentientibus differeret; deque his prius, quàm de intelligentibus: in disciplinis tamen tradendis facilitatis potiùs & doctrinæ ratio habenda est; quam ob causam in sensibus explicandis mutare ordinem coactus est Aristoteles.

Duæ igitur quaestiones, quas in primo huius considerationis ingressu proponit, hæc sunt. Prima, an tactus sit vnus sensus, an plures. Altera, quodnam sit illius organum. Quæ nisi antea explicentur, nihil de tactu dici potest. Certè cum facultates ex obiectis constituantur & distinguantur; vt facultas sit vna, obiectum vnus esse oportet. Quæ cum que igitur ad vnâ facultatem pertinent, ad vnâ primam contrarietatem reuocari debent, vt sub vno obiecto contineantur. Et quidem in cæteris sensibus ita res habet. Nam in aspectu vna est prima contrarietas albi & nigri, in auditu acuti & grauis, in odoratu suavis & ingrati, in gustatu dulcis & amari: ad quas colores omnes, soni, odores, & sapores, reducuntur; & idè in vnoquoque genere vnus existit obiectum, quo facultas vna constituitur. Odoratum tamen Aristoteles non nominauit; siue quòd is, vt ait Philoponus, obscurus in nobis sit, nec satis obiecti sui differentias diiudicet: siue potiùs quòd in tex. 95. odorum differentias dixerit saporum differentias sequi. At in qualitatibus tactilibus nulla est; sed plurimæ sunt contrarietates, calidum & frigidum, humidum & siccum, durum & molle, graue & leue, asperum & leue, acutum & obtusum, tenue & crassum, friabile & tenax. Quarum et si complures aliæ reducuntur ad alias, vt in posteriore libro de ortu & interitu traditum est: duæ tamen sunt æquè primæ, calor & frigus, humor & siccitas; quarum altera ad alteram non reuocatur. Ergo duæ circa illas videntur esse tangentes facultates. Quippe de tactili & tactu eadem, quæ in cæteris sensibus; ratio: & vbi que obiectum & sensus vicissim sibi respondent, eodemque modo se habent. Quoniam vnusquisque per suum obiectum constituitur: & si vnus est obiectum, vna est facultas; si plura obiecta, plures quoque facultates. Quocirca in tex. 106. argumentatio nulla continetur, sed prioris dubitationis propositio; An cum eodem modo se habeant tactile & tactus, quo in cæteris sensibus se habent obiectum & facultas, tactus sit vnus sensus, an plures, qui circa plura item tactilia obiecta versentur.

Deinde in tex. 107. proponitur altera difficultas; Quodnam sit organum tactus; num caro in iis animalibus, in quibus carnem propriè nomi-

namus; & in aliis id, quod carni proportionè respondet, et si propriè caro non sit; vt in piscibus, in insectis, & exanguibus omnibus: an verò caro sit velut medium, internum tamen & in ipso animalis insitum; sicut aër & aqua sunt externum medium in aspectu, auditu, & odoratu: primum autem tangendi organum sit aliud quidpiam intus & magis reconditum; vt in aspectu pupilla, in auditu membrana interior, in odoratu mammillares processus. Porro hæc posterior dubitatio maximè cum priori cohaeret. Si enim caro aut omnino vnus sit organum, argumento erit vnus esse tactus; quoniam vnus organum vnus est facultatis. Contrà si multiplex organum, multiplicem item fortasse facultatem coniectare licebit.

Vtraque autem dubitatione proposita, argumentum subiungit, quo ex multiplici obiecto sensus plures persuaderi videntur. Aut interpretari possumus, Primum velut propositionem totius huiusce rationationis proponi in tex. 106. cum eodem modo se habeant facultas & obiectum, si plura fuerint tactilia obiecta, plures quoque videntur debere esse tactus. Deinde altera quoque dubitatione interposita in tex. 107. de huius ipsius sensus organo, assumptionem subiungi; sed obiecta sunt plura, quoniam plures sunt contrarietates: atque ita concludi, plures esse tactus. Quamquam dum ego in hac postrema orationis parte integram argumentationem reperio; omnis sensus est vnus contrarietatis; sed tactus plurimum est, non vnus; non est igitur vnus sensus, sed plures; priorem interpretationem libentiùs amplector.

Verum apertior omnino fuerit oratio, si cum Philopono priorem verborum ordinem ita mutemus: De tactili & tactu eadem ratio est. Sed dubitationem habet, vtrum sint plures, an vnus. Si enim plura sint tactilia obiecta, necesse est plures quoque tactus esse. Plura autem obiecta esse videntur, quia plures sunt contrarietates. Atque hæc est prima dubitatio.

TEXTVS.

Ἐπει δὲ πᾶσι λόγοις ἡγεμῶν τῶν ἀποδείξεων, ὅτι ἢ ἐπὶ τῶν διήσων αἰσθησῶν εἶσι διαπορώσεις πλεονεξίαι, οἷον ἐν τῶν οὐ μόνον δρόμῳ καὶ βαρῆτι, ἀλλὰ καὶ μέγεθος καὶ μικρότης, καὶ λευκότης καὶ σκωροχρῆσις τῶν ὀφθαλμῶν, καὶ τοιαῦτ' ἕτερα. εἰσὶ δὲ καὶ περὶ χεῖρα διαπορώσεις τῶν αἰσθησῶν.

Hæc autem solutionem quandam ad hanc dubitationem. Quòd est in aliis sensibus sunt contrarietates plures; vt in voce non solum acumen & grauitas, sed & magnitudo & paruitas, & lenitas, & asperitas vocis, & huiusmodi alia. Sunt autem & circa colorem differentia huiusmodi alia.

COMMENTARIVS CLIII.

Difficilius est Aristotelis mentem & sententiam in hoc sensu tactus assequi, quàm in cæteris. vt enim res erat obscurior & magis perplexa, ita dum in re dubia diuersis hinc inde dubitationibus ac rationibus ea, qua solet breuitate, propositis veritatem inuestigat, ægrius nobis est quid tandem senserit definire.

De vniuersali tactu.

Quod organum tactus.

Tex. 108.



Postquam igitur argumentationem illam proposuit, qua ex multiplici contrarietate multiplicitas tactus concluditur; et infirmare atque diluere aggreditur. Nam ceteri quoque sensus, quos vnicos & singulares esse constat, circa plures contrarietates versantur; ut auditus circa acutum & graue, magnum & paruum, lenem & asperum, & huiusmodi alia, quae in sono & voce (vocem. n. pro sono communi auditus obiecto, speciem pro genere, nominavit) considerantur. Quippe non solum vox acuta dicitur aut grauis, sed magna quoque aut parua, lenis aut aspera. Suntque haec omnes differentiae inter se non parum diuersae; sicut & diuersas habent causas, amplitudinem aut angustiam arteriae, asperitatem aut lenitatem illius, vehementemque aut languidum impulsus. Si n. ampla sit arteria, ut multus per eam simul aer moueatur, vox grauis efficitur; acuta, si angusta. Si vehemens sit aeris impulsus, magna editur vox; parua, si languidus & debilis. Ac demum si arteria fuerit asperior & inequalis, asperam quoque faciet vocem; lenem, si lenis. Itaque priorem superioris argumentationis propositionem negat; Vnum scilicet sensum vnius contrarietatis esse; manifestam adferens aliorum sensuum instantiam; qui etsi circa plures contrarietates versentur, non propterea tamen multiplicantur.

Vox diuersa est vna.

An vnus sensus vnius contrarietatis.

Verum haec responsio probabilis est & apparet non certa & necessaria; & ut Themistius ex interprete loquitur, non proba & seria, sed phalerata & verisimilis. Quoniam si de obiectis propriis sit sermo; ut ex illis totam suam naturam & distinctionem habent facultates, ita certum est in vno obiecto vnaque facultate non nisi vnam esse contrarietatem. quoniam si plures essent, quae ad vnam reuocari non possent, ea ad plura obiecta genere diuersa, & idem ad plures facultates, pertinerent. Quod si de communibus obiectis loquamur, tunc sane contrarietates plures vno sensu comprehendi possunt: sed obiecta communia in constituendis facultatibus & distinguendis nullam vim habent: cumque vnus sensus vnius dicitur esse contrarietatis, de propriis, non de communibus obiectis est sermo. Magnum autem & paruum aut communia sensilia sunt, ut inquitur Alexander, & Themistius; aut improprie nominantur in voce, ut Philoponus & Simplicius ad tex. 64. & rursum hoc loco affirmant. Quod enim sensibile commune est & proprie nominatur; illud est, quod coniunctam quantitatem significat. In voce autem vehemens potius & exile dicitur, quae intensiorem quandam & remissionem vocis ostendunt: neque sunt auditus obiecta per se sensilia, aut obiecti species, quemadmodum sunt contrarietates eae, quae nominantur in tactu; sed velut modi ipsius vocis per se sensilis, sicut intensio & remissio in calore & frigore ceterisque similibus qualitibus. Certè cum vox & sonus quilibet ex motu & collisione aeris fiant, duplex in eo magnitudo & paruitas reperietur; quarum vtraque quantitatem significat. Altera est permanens, aeris moti, qui magnus est aut paruus. Altera successiva, durationis illius motus, qui fit in aere: quae duratio temporis quoddam est. Sed harum neutra est ea, de qua nunc sermo. Tum quia neutra est audibilis; tum quia neutra in sono & voce consideratur, quatenus eiusmodi sunt; sed aut ad materiam pertinent, ex qua fiunt; aut ad motum, quo efficiuntur. Magnitudo autem aut paruitas, quae nunc spectatur in sono tanquam illius propria, est velut priorum effectus & tanquam modus soni, quo vehementer aut ex-

Vox magna aut parua.

Duplex in voce magnitudo & quantitas.

lites mouere auditum potest: sicut intensio & remissio in qualitibus ceteris; nec in tactibus modò, sed & in colore, luce, odore, sapore. Haec omnes qualitates (etsi Philoponus secus sententiæ) magnas aut paruas dicimus, & magnum colorem aut lumen, & odorem magnum aut saporem, & item paruum nominamus; intensiorem solum aut remissionem significantes. Quare, ut haec in ceteris, cum per se non sentiantur, sed velut sensuum differentiae sint; inter sensiles contrarietates non numerantur: Ita neque vehemens & exile, seu magnum & paruum in sono numerare oportet. De aspero & leni idem existimandum. Quamquam ut ait Themistius, haec aut translatione à tactibus nominantur in voce, aut differentiae sunt figurae, quae sensibile commune est & voci quoquomodo conuenit propter aerem, qui in ea elidenda pertinetur. At in tactu plures sunt contrarietates, calidi & frigidi, humidi & siccis; quae communia sensilia non sunt, sed propria.

Quod autem additur (sunt autem & circa colorem differentiae huiusmodi alia) duobus modis interpretari possumus. Aut colorem proprie intelligentes; in eoque easdem illas differentias, magni & parui, asperi & lenis, quas in voce nominantur. Nam color magno per fulgens, inquit Simplicius, ut color auri & argenti, aut quicumque citius & vehementius sensum mouens, magnus appellatur: contra paruus, qui maiori eget lumine ut videtur, omninoque debilius & obscurius mouet; ut color plumbi: Et rursum lenis is, qui aspectu incedendus sit & delectabilis: asper, qui ingratus & molestus. Aut quoniam non has easdem, sed huiusmodi alias differentias dixit; colorem ampliori significatione accipientes, quatenus lumen quoque & aspectabile omne comprehendit; ac praeter albi & nigri differentiam, lucis, coloris, & tertii generis innominati, quod in tenebris solum aspicitur, differentiam commemorantes; & rursum aspectabile & inaspectabile, quae antea proposita sunt; & id genus alia.

Haec igitur est superioris argumentationis solutio, quae hoc loco adfertur à Philosopho: quae ut dixi, probabilis est, non necessaria; apparet non vera. Et idem non absolute solutionem; sed solutionem quandam appellauit. Quoniam etsi plures in ceteris sensibus contrarietates esse videntur, vnica tamen est vera, reliquae generales differentiae & communes modi obiectorum omnium, qui non per se, sed simul cum obiectis propriis sentiuntur. At in tactu verè sunt plures contrarietates quae obiectum tactile plures in partes distribunt; singulaeque per se sensiles sunt. Itaque omnino vget argumentatio illa proposita.

Simplicius tamen optimam & verissimam solutionem esse contendit; prorsusque affirmat inuicem matam fuisse propositionem illam; Vnus sensus circa vnam contrarietatem versatur. Quare solutionem quandam dictam fuisse interpretatur, quia si illius solum argumentationis, quae ex pluribus contrarietatibus fuit proposita. Alteram enim, inquit, iam proponit ex obiecti vnitatem desumptam, cui solutio ea non occurrit. Quae in re non solum Alexandro & Themistio contradicit, sed & Aristoteli & sibi ipsi. Etenim is in tex. 50. & 56. lib. 1. Phyl. simul cum Arist. fateatur in vno genere vnicam esse contrarietatem primam, ad quam ceterae omnes reducuntur. Hunc autem in vno sensibus ob-

iecti genere contrarietates plures repetiri contemdit. Deinde, quod argumentationes duas distinguit, commune quidem illi est cum Philopono; sed minus verum. Quoniam duæ illæ argumentationes, quæ ab ipsis proponuntur; altera, quia vnus sensus vnus contrarietatis est; altera, quia vnus sensus circa vnum obiecti genus est, tantumdem omnino valent. Siquidem, vt Arist. tradidit, in vno genere vna est prima contrarietas: perindeque est; siue ab vnitae contrarietatis, siue ab vnitae generis argumentari; & eadem est vtriusque argumentationis solutio. Neque fatis mirari Simplicium possum, qui tactum concedens esse circa plures contrarietates primas, eundem dicat circa vnum obiecti genus versari. Quod igitur attinet ad postrema huius contextus verba.

TEXTVS.

Αλλὰ τί τὸ ὑποκείμενον, ὡς πρὸς ἀκοῆς φωνῆς, ὡς πρὸς ὄψιν χρώματος.

At quid sit subiectum, sicut auditi sonus, sic tactui, non est manifestum.

COMMENTARIVS CLV.

**A**lteram illi argumentationem proponi afficimur; qua priori infirmata rursum ostendatur tactum non esse vnum sensum; quoniam non habet vnum obiectum, sicut habent auditus, ac ceteri sensus. Nam in auditu est sonus, vnum obiectum in aspectu color, in odoratu odor, in gustatu sapor. At in tactu, est tactile nominari posse, hoc tamen non est subiecti vltius, & naturæ nomen, sed per habitudinem ad sensum dicitur; sicut audibile, aspectabile, odorabile, gustabile. Verum dubitationem hanc, ait Simplicius, non ex rerum natura, sed ex ignorantia nostra in surgere; quibus commune illud obiectum minus perceptum est, nec satis illud nominare possumus. Et ideo non fuisse dictum, non esse vnum, sed non esse manifestum.

Multò autem verius Alex. & Themist. nullam in his verbis argumentationem agnouerunt; sed potius velut antea proposita dubitationis conclusionem. Quasi diceret; siue vnus, siue plurium contrarietatum sit vnus sensus, certè in tactu non satis perceptum est, an illius obiectum sit vna aliqua natura; vt in auditu sonus, & in cæteris color, odor, sapor; an plures. Neque enim vnum commune obiectum nominari posse videtur. Et quamuis argumentatio illa proposita de multiplici in tactu contrarietate solui posse videatur eo, quò dictum est, modo remanet tamen adhuc difficultas, vt intelligatur, quo modo hic sensus sit vnus; si quidem in eo vnum obiectum, ad quod omnes illæ contrarietates pertineant, non ita apparet, neque tam facile, vt in cæteris sensibus, nominari potest. Nam si in his quoque plures contrarietates proponantur; omnes tamen in vno obiecto considerantur, ex quo illorum vnitas petitur. At in tactu nihil apparet vnum, quod huic sensui vnitatem tribuat.

Hæc quidem videtur esse horum verborum sententia. Sed mihi venit in mentem opinari, Aristotelem postquam priori argumentatione debita vitæ, an tactus sit plures sensus, eiusque argumentationis probabilem, & apparentem iouentionem respondit; voluisse quoque contra argumentari, aut solutionem il-

lam confirmando, aut propositam dubitationem pro vtraque parte disputando; vt ita veritatē facilius inueniret; aut potius quid omnino sentiendū sit, indicando. Quare vt ex multiplici contrarietate tactum esse multiplicem facultatem probauerat; ita ex obiecti vnitae vnā esse affirmavit. Vt. n. in auditu vnum est obiectum, sonus, in quo plures illæ commemoratæ contrarietates considerantur; & in aliis itē sensibus; indeque suam illi vnitatem habent: sic in tactu vnum est obiectum; vna igitur facultas, sed hoc solum est discrepantiæ, quòd in cæteris obiectū illud vnum manifestum est, & facile nominatur, in tactu non item.

Cuius interpretationis occasione quidē mihi dedit Auerroës; qui Philoponū dixit, postquam proposuit dubitationem probantē tactus pluralitatem, incepisse excitare modum debilitatis eius, hoc est dubitationem illam argumentatione contraria infirmare. Verum post ratio ipsa confirmavit. Cum. n. in initio dictum fuisset dubitationem habere, an tactus plures sint, an vnus; quemadmodum proposita est argumentatio; ex pluribus contrarietatibus, ad suadendum plures esse tactus; sic argumentatio altera subiungenda fuit, qua vnum esse concluderetur. Et verò est hæc, quæ ex obiecti vnitae ducitur. Quamquæ hoc vnum tactus obiectum non ita manifestum est, vt in cæteris sensibus, hoc est non æquè omnibus notum; nec quod tam facile, quam in cæteris, nominari possit.

Digressio LV. Quatenus vnum sit obiectum tactus.

**P**ropterea laborarunt non parum interpretes, vt obiectum hoc vnum nominarent. Et Atticos refert Philoponus nominasse τὸ ἀσπρίνον. i. quòd resistit, seu renititur. Resistens autem seu renitens eos appellasse, non id, quod durū est, & contrarium molli; sed omne corpus naturale, quod attingi potest, tactumque terminare: Ad differentiam Mathematicorum corporum, quæ tactui non occurrunt, sed in imaginatione, & mente versantur.

At non ineptè obiicit Philoponus caloris, & frigoris tactum non fieri per impulsum, & occursum. neque à Mathematicis corporibus distingui solum naturalia, quòd tangatur; sed etiam quòd reliquis percipiatur sensibus; Eamque tactilis notionē reliquorum quoque sensuum obiecta comprehendere: ad demum Aristotelem non querere subiectū, sed genus vnum, quod & in vnam primam oppositionem diuidatur, vt cætera genera, & tactilia omnia sub se contineat tanquam superius inferiora.

Sed respondere illi potuisset, se ἀσπρίνον ita appellare id, quod tactu sentitur, ad differentiam Mathematicorum corporum, sicut naturalis tactus dicitur ad differentiam tactus Mathematici: atque ita calor quoque & frigus comprehenduntur. Deinde corpus quidem naturale cæteris sensibus sentiri, sed quatenus ἀσπρίνον, hoc est tactui occurrens est, solo sentiri tactui: sicut quatenus aspectabile est, aspectu solo percipitur; eodemque modo in cæteris sensibus. Denique, se non subiectum, sed genus à tributū nominasse, illudque in vnam primam oppositionem diuidi; sed plurimarū rerum differentias ignotas nobis esse, nec nominari posse.

Illud potius fuit illis obiciendū, eos dum ita nominant, non nominare qualitatem ipsam, re naturam, & obiectum tactile; sed habitudinē solā ad sensum; quemadmodū Aristoteles tactile nominauerat aspectabile, &c. Rem autem ipsam, quæ tactilis est, ipse immanifestam esse affirmavit, nec illi vlla ex parte aperuerunt.